



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Homo Christianus In Sua Lege Institutus. Sive Discursus Morales**

Quibus Totum Hominis Christiani Officium Explicatur; Quídq̄ue is fugere,  
quid agere debeat, quàm exactissimè traditur

**Segneri, Paolo**

**Augustæ Vindelicorum, Anno M.DCCXII.**

**VD18 90637054**

Discursus XXXV. De Cultu Sanctis debito, præcipuè verò Angelo Custodi.  
Cùm Sancti à Deo nobis dati sint tanquam archetya, & protectores nostri,  
probat̄ur devotionem erga illos non esse perfectam, quæ ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51667)

DISCURSUS XXXV.

Quantum nos tum Cœlitibus aliis, tum maxime custodi Angelo devotos esse oporteat

**I.** Utres illæ, quas prope maris littus erectas videmus, geminum navigantibus afferunt emolumentum: monstrant in tenebris, quâ sit navigandum; cum piratæ iminent, securum præstant asylum. Magnâ ergo causâ S. Basilus inductus est, ut Beatos Cœlites, Advocatos nostros, Turres appellaret: ipsi siquidem securo in littore æternitatis beatæ positi, animo & voluntate mari Temporis, mille tempestatibus & periculis obnoxio propinqui, utrumque hoc nobis præstant beneficium, dum & viam monstrant exemplo, & suo periclitantes regunt patrocinio. Et verò quoties in densis ignorantæ tenebris cæca nostra mens nesciret, quâ sit pergendum, nisi sanctissima eorum facta & exempla, mille inter scopulos & vada monstrarent, quæ via sit tenenda? Quoties Piratæ stygii, remis velisque inveci, miseram nostram naviculam obruerent, ac prædarentur, nisi illa sollicitâ fugâ ad unam ejusmodi Turrim Cælestium festinaret, ex quâ mille pendent clypei ad nos protegendos, & mille hastæ ad inimicos profligandos? *Mille clypei pendent ex ea; omnis armaturæ Fortium. Hinc finem discimus*

& scopum, quem sibi præfixit Deus in magnis his sanctitatis, consummatæque virtutis molibus erigendis: ut Fidelibus suis in terris præberet Exemplum, in Cælo præsidium. *In Terris visus est, S. Berno ut esset Exemplum; in Cælum levatus, ser. 1. ut sit Patrocinium.* Atque hoc etiam de S. est, quod nostris erga Beatos Cœlites *Victore;* obsequiis ac pietate oportet spectare, ut imitando eorum egregia virtutum exempla, dignos nos reddamus potenti eorundem patrocinio. De utroque isto hodierna die disseramus, sic tamen, ut præcipuè Cœlitum numero Custodes nostros Angelos comprehendamus; à quibus quanto plura identidem, & certò recipimus beneficia, quàm ab alio quoquam Cælestium, ita par est nos illis impensius esse devotos, animoq; propensius addictos.

I.

II. Primò Sancti ideæ illæ sunt, quas nobis in agendo propositas esse oportet, si verè nos ipsi devotos gloriari volumus. E primis, cur carnem nostram Dei Verbum assumpserit, causa una fuit, ut visibile mortalibus proponeret Exemplar & idem, quam imitando sanctitatem assequerentur. Et verò exigebat id ipsum Redemptoris officium. Quid enim tandem emolumenti allaturum erat nobis ly-

Ses 3

S. Greg. VII. l. 1. p. 47

Antic. 44



rum illud abundantissimum, quod pro nostra salute in Cruce appendit, si modum ignorassetis, quo cum illo oporteret negotiari? Decebat, ut sua ipse vitam, doceret nos rationem promerendi illa bona, quæ morte sua erat nobis procuraturus. Quamquam autem perfectissima hæc vitæ Christi idea sustentura erat mortalibus, ut juxta istud prototypo nobilissima virtutis æstypa formarent, Christi tamen gloria, & nostra videbatur postulare infirmitas, ut aliæ etiam minores perfectionis ideæ exararent, & alii etiam, naturæ conditione similes, prægressi, dicere possent securis illud Apostolicum; *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.*

III. Dixi, debet hoc ipsi Christi Servatoris gloriæ: neque enim Sol unquam certius ac clarius agnoscitur fons omnis luminis, quam nocturno tempore, quo tot fulgentissimas, tantæque molis faces suâ luce implet, ut nocturno tempore viam monstrant, & densas illas, quas ipse nostro horizonte digrediens post se relinquit, tenebras nonnihil dissipent. Ita & Servator noster Christus non aliâ se perfectissimas cunctisque absolutam numeris sanctitatis Ideam probavit, quam quando è nostro abienti hemisphærio, ut Cælo se redderet, minora sidera, suo plena lumine reliquit, quos sunt dispari perfectione Sancti, qui suas procul absentis vices suppleant, & gressus nostros, quos in tenebris metriculosi & titubantes Cælum versus signus, dirigant.

IV. Addidi, debet id etiam imbecillitati nostræ, duplici de causa. Primò quidem, quia vel ipso virtutum in choro numerantur aliqua, quæ perfectionis alicujus defectum in habente arguunt; talis est Fides, aliæque, sine quibus etsi in terris rectè non vivunt, in Patriæ tamen beatas sedes, ubi suis cuncta absoluta sunt numeris, ipsæ nos non comitantur. His etiam Servator noster caruit: unde & eorum normam suismet actionibus & exemplis relinquere nobis non potuit. Non potuit ille nobis dicere, Discite à me, quâ ratione arcanissima, quæ vobis revelo, mysteria, fide tenenda sunt firmissimâ, quâ ratione promeritis culpæ poenas redimatis; quâ Dei speretis gratiam, quâ peccatam admittit, & ingratissimum pro innumeris Dei donis animum detestemini: decebat proin alias nobis Ideas, alias proponi harum virtutum actionumque exercendarum normas. Dat ergo nobis suo loco Magdalenam aliquam, quæ eorum Peccatorum agmen his verbis excitet: *Imitatores mei estote.* Discite à me amare flere vestras culpæ, venâ lacrymarum tam perenni, ut illæ vestris ex oculis manare nunquam cessent, donec suis illos manibus mors claudat. Discite, viva fide ad pedes Servatoris vestri abjecti eos mille osculis libare: osculari, inquam, pedem sinistram, adorando formidandam ejus ultiriam, & timendo omnem poenam osculari dextram, ut honoretis miserationes ejus nunquam exhaustiendas, & omnium no-



Bern. 6. Cant.
 xsum venisim speretis. Discite ef-  
 fundere non parèe, sed prodigè san-  
 ctum hoc unguentum actionum pœ-  
 naliū, quibus opprimatur & supe-  
 retur pessimus ille & intolerabilis vitæ  
 præterita: sector. *Imitatores mei esto-  
 te.* Quod autem hic de Pœnitentiæ  
 virtute à me dictum est, vobis etiam  
 dicere licet de aliis generis ejusdem;  
 nostræ imbecillitati omnino expe-  
 diisse, ut hæ, quæ in Christo relucere  
 non poterant, in aliis relucerent virtu-  
 tes, facémq; isti nobis præferrent ad i-  
 mitandam, atq; ad eòs servator his non-  
 nullos fervorum suorum verbis allo-  
Mat. 2. 15.
 queretur: *Sitis sine querela in medio  
 nationis prava, sicut Luminaria in  
 Mundo.*

Chr. 4. 16. 3. 17.
 V. Quin & iis in virtutibus, quæ  
 in Christo ipso splendebant, alias in-  
 ferioris gradus ac ordinis Ideas nostra  
 imbecillitas postulabat. Atque hæc  
 est altera ratio. Imitatio siquidem  
 eorum, qui naturâ nobis, ceterisque  
 dotibus, aut etiam defectibus ac mi-  
 feris pares sunt, multò facilior ac  
 suavior accidit. Cùm Apostolus se  
 ipsum Ideara proponit Fidelibus,  
 quam imitentur, sapius ingeminan-  
 do: *Rogovos, imitatores mei estote;*  
 nemo tibi persuadeat, ut sapienter  
 Chrysostomus monuit, vanitatis id,  
 & nescio cujus gloriolæ consecandæ  
 studio factum. Sed ita loquitur eâ  
 causâ, ut omnes doceat, virtutem  
 non ita firmam in ærduo, ut ad eam eniti  
 non possit, qui seridò voluerit. *Non se  
 extollit, sed ostendit facilem esse virtu-  
 tem.* Et si verum fateri lubet, aris  
 piôriæ tironibus non est ad eòs diffici-

le formare ectypon prototypon non  
 simile tantùm, sed æquale; difficil-  
 limû tamen ipsi est, servata ad amul-  
 sin omni partium proportione ima-  
 ginem. Ideâ multò minorem perficere.  
 Imitari autem Exempla Servatoris, est  
 prototypon imagine minore imitari;  
 quæ res minùs peritos meritò abster-  
 reat. Voluit proinde Deus, ut ex-  
 earent Ideæ & prototypa nostræ imbe-  
 cillitati, & virium tenuitati magis  
 proportionata, sic ut nobis liceret ex  
 ectypis ectypa formare, & ex imagine  
 æquali æqualem pingere. Nec satis ex-  
 plicari potest, quantum hinc animorû,  
 debiliores minùsve periti sumant ad  
 superandas, quæ in virtutum studio  
 occurrunt plurimæ, difficultates. Ac-  
 cedit nonnunquam ad maris litrus ti-  
 midum cervorum agmen, videtque  
 non procul nemus, in quo nec pascua  
 desint, quibus se recreet, nec arbores,  
 quarum se latebris tegat, cuperentque  
 singuli in locum tam amœnum pedem  
 quamprimùm inferre; sed remoratur  
 maris sinus, aut angustum, quod in-  
 terjacet, fetum. Dum autem in-  
 certi fluctuantésque ad felicem illam  
 silvam frustra aspirant, prodit eorum  
 è numero quispiam & corporis mole  
 præ cæteris visendus, & animo major,  
 coruamque suorum ramos, ut mi-  
 litare signum præferens aquas trans-  
 nataturus ingreditur, eòque velut ex-  
 emplo omne reliquum agmen nullo  
 negotio post se trahit. Nec dispar in  
 virtutum studio rerum conditio est.  
 Ostendit nobis Fides felices terras, pa-  
 scua salubria, & securum in Præcepta-  
 rum divinorum, Consiliorumque ob-

ser.



servatione receptum : sed quæ inter-  
media est difficultas, quâ non supera-  
tâ optatum ad locum non pervenitur,  
nos exanimat. Cùm fortuitò in ma-  
nus venit Historia vitæ Sancti alicujus,  
aut ipsi oculis, non auribus tantùm,  
usurpare datur facta quædam heroica ;  
excitit confestim exemplum ejusmo-  
di desperationem, vires suggerit, ad  
imitationem invitat, & nescio quâ  
occultâ vi pertrahit : cujus rei illustre  
exemplum in S. Augustino habemus ;  
cùm & ipse nondum suis miseriis ex-  
peditus, aiceps hæretet, possétne  
præsentium voluptatum & illecebra-  
rum suavitate neglectâ, narando quo-  
dammodo ad illas tendere procul re-  
motas delicias & gaudia, quæ Fides  
monstrabat. Tum enim, *Quod isti,*  
*8. c. 11. & ista, ajebat, tu non poteris ?* Si tam  
*3.* multi, & tam multæ fretum hoc tra-  
narunt feliciter, calcatisque omnibus,  
quas sensus offerebat, quibusque pel-  
liciebat, illecebris pertraxerunt ad pu-  
rissimos Castitatis amplexus, cur idem  
sibi non liceat ? Si Leones fuissent illi,  
tu cervus fugax ac timidus, meruere  
fortassis posses, ne te ipso in constu-  
vires deficerent, tanto illis imbecil-  
liorem. Sed en ! Cervi fuerunt & ipsi,  
perinde ac tu, naturâ imbelles, mi-  
nimè audaces, inermes, & tamen divi-  
nâ adjuti ope res tantas perfecerunt :  
& te illos sequi pudet, aut cæderet ? *Tu*  
*non poteris quod isti, & ista ? An ve-*  
*ro isti, & ista in semetipso possunt, ac*  
*non in Domino Deo suo ?* Sic nobis il-  
lustris iste Poenitens suas in charta lu-  
ctas depinxit, ut suæ ad meliora con-  
versionis gloriam tribueret virtuti ex-

emplorum, quæ à sanctis data intrue-  
batur. Hæc autem eadem si nos quo-  
que attentis animis contemplari vo-  
luerimus, experiemur & ipsi, quàm  
potenter ad calcandam duram virtutis  
semitam incitent relicta à præveni-  
bus vestigia. Et verò, teste eodem  
S. Doctore, difficile dictu est, quan-  
tum Romæ potuerit lecta S. Antonii  
vita, quam S. Athanasius literis con-  
signârat, cùm primùm illam in urbem  
illata est. Videbatur adempta Chri-  
sti Sectatoribus omnis excusatio, dum  
tam procul aberant à sequenda Serya-  
toris doctrina, cùm vir ille Sanctus  
opibus omnibus sua voluntate abje-  
ctis, speretis voluptatibus, delitiis, hu-  
manòque commercio, palàm fecisset,  
quàm propè illam sequi liceat ; san-  
tâque post se traxisset sequacium  
multitudinem, ut impleret solitudines  
ac spelæa habitatoribus perpetuis, &  
tos generosis vani ac superbi Mundi  
contemptoribus, quot eum secuti e-  
rant Eremitæ inquilini.

VI. En necessitatem exemplorum,  
quibus nostram legnitiem ad viven-  
dum ex virtute Sancti excuterent : quæ  
est tam manifestâ, ut Deus voluerit in  
omni hominum conditione, omni  
gradu, omni sexu, omni vitæ instituto,  
quâlibet aut humili, aut lubrico,  
extare complura exempla, quæ tunc  
imitatemur ; palàmque fieri, sicut  
nullum est peripheriæ punctum, à  
quo ad centrum duci linea non possit,  
si modò libeat ; ita nos, quocunque  
demum in statu ac conditione simus,  
rectâ tendere ad Deum posse, & non  
sanctum salutem, sed virtute, com-  
mu-



munem supergressâ, illustrem sancti-  
tatem, ac tandem gloriam consequi.  
Par proinde foret, semper oculis no-  
stris obversari horum Sanctorum vitæ  
historias, & à nobis non assidue mi-  
nus, quàm diligenter considerari eor-  
um vivendi rationem, ut ratione  
quàm perfectissima eas imitando  
exprimeremus. Atque hoc eâ ma-  
ximè causâ, quia non oportet in ani-  
mum inducere, id tantum facere San-  
ctorum exempla, ut viam monstrant;  
cùm revera etiam vires suggerant,  
ad ambulandum per eas; cùm eorum  
aut meritis, aut precibus inductus  
Deus, alia aliâque suppeditet auxilia,  
quibus aut ad inchoandum excite-  
mur, aut ad pergendum in bene ceptis  
roboremur: & sicut Ulmus non in-  
viras tantum exemplo vitem, ut &  
ipsa se erigat, sed tot etiam, si ita loqui  
fas est, illi brachia manusq; porrigit,  
quot ramos extendit, eam jovat, susti-  
net, donec se ipsa erigat: sic & San-  
ctorum exempla non docent tantum,  
quomodo ad Cælum rectâ tenden-  
dum sit, sed vires etiam & opem co-  
nantibus subministrant. *Obvium*  
*Reg. 10. habebis gregem Prophetarum descen-*  
*dentium de excelso, & insiliet in te*  
*Spiritus Domini, & prophetabis cum*  
*eis, & mutaberis in virum alium.*  
Sic, ut promissum erat, in Saule Rege  
factum est. Neque hujus generis  
prodigia rara sunt: nullo ferè non die,  
dum hi illique ingrediuntur arduam  
virtutum semitam, obviam sibi venire  
vident complures cujuscunque ordi-  
nis Sanctos; Nobiles, Plebeios; Sa-  
cerdotes, Laicos; Doctos, Indoctos;  
*R. P. Sagneri S. J. Christ. Instr. Tom. III.*

Juvenes, Senes, qui exemplo eos suo  
animant ad enitendum alius; eodém-  
que tempore Spiritus Dei, infirma cor-  
dium pervadendo, nobiles istos tiro-  
nes penitus in diversos ab iis, qui  
fuerant, immutat: ex Peccatoribus  
Pœnitentes facit; ex Sædatoribus vo-  
luptatum, amatores & Sponfos Cru-  
cis; ex avaris & cupidis, benignitatis  
ac beneficentiæ ideas; ex iis, qui vir-  
tutem vel in se ipsis oderant, ejus in  
aliorum etiam animis propagatores  
constituit ac efformat. *Insiliet in te*  
*Spiritus Domini, & mutaberis in vi-*  
*rum alium.*

VII. Hac igitur ratione lucidæ istæ  
Sanctorum Turres in navigatione nos  
nostra ducunt ac dirigunt, simulque,  
dum viam monstrant, animos etiam  
nostros erigunt ad sperandum, quòd  
eò tandem nobis quoque liceat appel-  
lere. Atque hinc convincimur, eâ nos  
re potissimum devotum Sanctis ani-  
mum atque obsequia probaturos, si  
semper propius ad eos morum sanctif-  
simorum imitatione accedamus. Non  
paucos invenire erit, qui se Divorum  
alicui singulariter addictos profitean-  
tur: propterea quòd aliquo hebdo-  
madæ die lampadem ejus honori ar-  
suram accendant; lineum ad ejus aram  
regumentum, tapetem, cereum gran-  
diorem afferant; quotidie aliquas ad  
ejus cultum preces decurrant. Verùm  
istud non sufficit. Necesse est obse-  
quijs istis exterioribus addere & alte-  
rum, animi ac spiritus, qui eorum  
spiritui penitus conformis sit ac re-  
spondeat. Sed cur ego ista vobis?  
An id quero, ut aliquod eorum obse-  
quio-



quorum omittatis, quod assuevistis præstare, etsi ad imitandum animi non sufficient; Hoc sanè mihi propositum non est. Quin ut sciatis, quantum damni afferat etiam ab ita constitutis obsequia illa externa prætermitti, eventum narrare iuvat, quem legisse memini haud parùm terrificum; & mox cæpto itinere progredi. Asceta quidam singulari omnino ratione S. Barbaræ devotum se profitebatur, eamque quot diebus stans aut precibus, aut alio obsequii genere, venerabatur. Decursa temporis victus ignaviâ omittere cæpit exercitationes illas, & ab ipsa Diva de ea socordia admonitus est, quæ dormienti visa, sic absque ambagibus locuta est: Tu mihi non servis, ut solebas; & ego te non iuvabo deinceps, ut solebam. Terruit hæc admonitio hominem, non ita tamen, ut torporem excuteret: unde promeritus infelix est, ut minarum intentatarum tonitru, in fulmen tandem tristissimi exitii erumperet. Miser enim se ipso semper deterior, ex tepido frigidus, è frigido durus, è duro omnis planè disciplinæ impatiens evasit: nec maledè post, abjectis sacri Ordinis vestibus, rediit ad gustandas denuo Mundi sordidas delicias, ut Canis ad vomitum. Cùm ita non paucos annos profugus vixisset, placuit Numini, ut invaleitudine tentatus in Nosocomium se Norimbergense recipere cogeretur; ubi agnitus ut Apostata, ab alio Ordinis ejusdem Asceta vestem & habitum sacrum accepit, ut in Dei & S. familiæ receptus gratiam, mortem imminen-

Joan.  
Nider.  
l. 2. c.  
3.

tem securus exciperet. Sed ò non sinat Deus, ne unquam cor nostrum occillescat! *Cor durum male habe.* Eccl. 3. bit in novissimo. Sacram istam vestem miser intuitus, perinde ac si totam vitæ perperam actæ feriem in illa legeret; Apage, clamabat, apage; tollite illam ex oculis, nisi ante tempus me occisum vultis. Hæc locutus, ut Naufragus, qui oblata sibi tabulam infans rejiceret, extremum agonem ingressus, mox vivere desit impænitens, obstinatus, omni subsidio destitutus. Videte proin, quantum damni afferre possit ignavo homini illorum obsequiorum negligentia, quæ tam prudenter Cælitis alicujus honori peragere instituerat. Non igitur hæc damno obsequia, velut unquam inutilia; vitupero tamen illa ut manca & imperfecta, & unice cupio, ut mortuas illas aut languentes actiones spiritu animetis, qui est Divorum, quos is obsequiis colitis: ut inquam, horreatis peccatum, quod Divorum quilibet tam vehementer erat exosus: quæ enim aliàs devotio, quis tener in Deum, & Sanctos sensus esse potest in tanta morum dissimilitudine & actionum, quarum aliæ tam sint sanctæ perfectæque, cùm è diverso aliæ tam sint perfidæ? *Qua communicatio sancto homini ad Canem?* Ajunt, chordas è lupi confectas visceribus nullâ in citharâ sic temperari & intendi posse, ut aptam cum chordis ex visceribus agni confectis harmoniam efficiant: rumpe prius has aut illas, quàm harmonice attemperes; aded vel tum igni, congeniâ à lupis antipathiâ abhor-

Eccl. 13  
v. 22.

Anbr.  
ad Vir-  
gin. lap-  
Am.



horrent. Quæ igitur ratione unquam fier, ut viscera hominis nequam, impuri, iracundi, rapacis, rapacitate plus quam lupinâ, consonent & harmonice attemperentur cum visceribus alicujus Sancti, sinceri, puri, mansueti, & omni agno placabilioris? consonabant nunquam, nisi Lupus ille in agnum mutati constituat, veniam noxarum præteritarum precatus, nihilque magis, appetens, quam vires ac gratiam, ut in alium à se dissimilem, possit evadere.

VIII. Quàm proinde ferri nec debet, nec potest illorum Christianorum excusatio, qui cum exemplū aliquod ipsis hominis Sancti proponitur; quo inducantur ad abruptum commercium turpe, ad dandum offendentiam, ad commodam veritum studium omittendum, aut aliâ quampiam Magnanimitatis Christianæ actionem, impudenter ac præfrictè respondent; hunc illumve fuisse Sanctum! Irane igitur fixam vobis est non jam Divos, in ideam à Deo propositos, imitari, sed Dæmones carnem indutos? Sanctus erat? ita est; sed non ideo alterius, quam vestrâ quilibet, naturæ; simili ex carne, simili humorum temperie compositus, fragilis, infirmus, verbo, Adami ex luto formatus. Repones, scribit ad puellam lapsam S. Ambrosius: *Non potui ad Virginiem sustinere, qui carnem fragilem circumfererebam. Sed ait S. Doctor, Respondebit tibi Beata Thecla cum innumerabilibus sociis: & nos eadem carne amicti fuimus. Quod si tandem non pudebit quompiam dicere: nec Sanctos*

quidem immunes à noxis fuisse: sicut se nobis ingens agmen Sanctorum Pœnitentium, vitæ suæ exemplis demonstrantium, se, etsi aliquando ceciderint, surrexisse ramentis invictis, & denuo aggressos cum hoste certamen non antè pugnare desisse, quam vincerent & triumpharent: & quemadmodum navis post discussum periculum refecta, & bitumine probè oblitâ non aliâ parte jam minùs admittit aquam, quam quâ priùs neglectâ vectores omnes præfenti discrimini exposuerat: sic Sancti nulla in virtute tantos progressus fecerunt, magisque evaserunt invicti, quam in illa, in qua antè defecerant: castiores cum S. Maria Magdalena post libidines: fideliores cum Thoma post incredulitatem; constantiores cum S. Petro post instabilitatem; lucrum omne injustum cum S. Mattheo magis exosi post usuras. Ineptum proinde semper est, ad excusandas suas miseras dicere; Sanctos illos fuisse: cum hoc non infantes, sed reos nos constituat: cum illi fuerint, quòd nos esse deberemus. Ecquid est tandem esse Christianum, nisi esse electum à Deo ad vivendum sanctè ac perfectè? *Dilectis Dei, vocatis sanctis.* Hæc est nomenclatura ut omnium gloriosissima, sic & communissima, quâ Apostolus Fideles in Epistolis suis indigitat, dum identidem Sanctos vocat, aut quòd tales re ipsâ essent, aut ne obliviscerentur obligationis, quâ tales esse tenebantur; si tamen respondere volebant divinæ vocationis excellentiæ, & familiaritatis, quâ Deo devincti sunt, qui non tantum



subditos, ut omnes homines sunt, sed  
 fervos etiam illius Majestatis se esse  
 profitentur. *Elegit nos in Christo ante  
 4. Mundi constitutionem, ut essemus Sancti.* Qui recusat imitari Sanctos, necesse est, ut illustri etiam Christiani nomine ac titulo cedat: cum idem sint Christiani ac *Gens sancta*, idem quod *Filii Sanctorum*: nepotes nimirum ac posterum innumerabilium Sanctorum Confessorum, Præfulum, Virginum Martyrum, qui sanguine suo profaniam nostram nobilitarunt: unde cum tam sancta sit radix, par sane est & ramos esse sanctos: *Si radix sancta, & rami*: nam & nostræ quodammodo venæ plenæ sunt illo succo, illo liquore, spiritibus, vigore, quibus ad Cælum usque pulcherrimæ illæ ac nobilissimæ arbores se extendere: id enim si ita non est, quomodo radicis hujus rami sumus? Omni proinde huic prærogativo juri obnuntiet oportet, quisquis vult esse eximius obligatione, Sanctorum gesta ac vitam pro viribus imitandi.

Rom.  
11.16.

IX. Quin imò ne illa quidem meritò amplius gaudebit Custodiæ sui Angeli institutione ac gubernatione, qui ab eo imitando abhorret: nam & hic nobilissimus Genius non alio magis titulo gloriatur, nec aliud magis à nobis desiderat, quam ut firmus Sancti. Quod re aliâ nullâ magis gloriatur, pluriusque faciat in sese, dabitari non potest: cum ut inter humanas, ita & inter Angelicas excellentias ac decora supremum si Sanctitas. Hæc ubi defuerit, aliorum ratio habetur nulla. Inde videmus, quod etsi Monarchæ:

hujus Mundi læsæ Majestatis suæ reos ac perduelles, non plebant tantum gratiæ ac favoris sui privatione, sed hinc etiam addicant bona eorum planè omnia, Feuda, domos, agros, census, & quidquid ad eos quoquo modo pertinebat; Deum tamen Lucifero, illi perduellium coryphæo, & sequacibus omnibus, etsi tanæ tamque infamis perfidiæ Reis, non ademisse decora, quibus ornabantur, cetera, non rerum conscientiam, non agilitatem summam, non prudentiam, non vires, sed solâ eos Sanctitatis, eorumque numerum, quæ cum hac conjuncta sunt, jacturâ muldasse. *Dona naturalia esse integra manent*: quæ est doctrina ex S. Dionysio hausta; ejusque rei causa est, quod dorum ceterarum ac munerum omnino omnium, si Sanctitati conjuncta non sint, nulla in cælo ratio habebatur: Scientia absque Sanctitate ignorantia reputatur: velocitas sine Sanctitate æstimatur tarditas; prudentia sine Sanctitate stoliditas; vires ac robur sine Sanctitate mera imbecillitas. Sola Sanctitas, ut est titulus, quo solo Cælestes Genii Deum compellant, Choris omnibus summâ semper concordia concinentibus, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Exer. 11.6.1. circum*: ita & ipsi pro se non alio magis gloriantur, *Angelus Domini sanctus sit in itinere vestro*. Non est proinde, Tob. 10. 11. cur porro ambigamus, an ille Angelus, cujus fidei ac curæ creditus unusquisque nostrum est, plurius aliquid in se æstimet, eoque gloriatur, quam quod sit Sanctus.

X. Nec

S. Tho.  
1. p. 2.  
6. ar.  
1. cor.



X. Nec obsecrari est, nihil eundem vehementius à nobis desiderare, quam ut simus Sancti. Hæc enim, & non aliâ magis causâ à primo inde quo lucem aspeximus, momento, nobis ille datus est, ut ejus Magisterio discamus obedire Deo, in quo tandem, tanquam in Synopsi, Sanctitas consistit. Nescio an unquam nostrum quispiam animum de industriâ intendit ad considerandum & intelligendum exemplum illud obedienciæ incomparabile, quod oculis nostris Fides objicit, dum docet Custodem nostrum Genium semper nostro hæerere lateri, ut Deo ira jubenti obtemperet.

*Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Applicatè ad hæc perpendenda mentem, ait S. Bernardus, & duplex hoc maxime caput examine: cui hoc sit imperatum, & quem in finem? Jussa hæc accipit Angelus, in infinito prope intervallo nostrâ conditione superior; tam naturâ, spirituali omnino & concretioniæ omnis corporeæ experte, atque adeo Divinæ Naturæ similiore; quam facultatibus, validis planè ac ad operandam expeditis, plus quàm satis æstimari queat; atque adeo etiam actionibus, quæ tam præstantibus ac potentibus facultatibus respondent: ac denique superior nobis amplissimis gratiæ & gloriæ donis, quibus Princeps hic cælestis curiæ exornatus est. Hic est, qui jussa hæc accipit. Et quæ illa? Ut adsit homini misero, rudi, indocili, peccatori, qualis est nostrum quilibet. Paret autem illi his imperiis sic ad amplexum,

ut ne momento quidem unico à latere nostro discedat. Et hoc miro minus nobis non videatur? Cùm Balenæ sint oculis lusciosis, decem illis providit natura pisciculum, qui pueri instar manum cæcæ porrigat. Meritò hanc Providentiæ curam tam amabilem miramur. Haud paulò tamen admiratione dignius foret, si pisciculum luscum bene oculata balena duceret. Hoc autem, imò sine comparatione majus prodigium, quod perpetuò nostrâ causâ operatur Gratia, dum cæco homini ducem dat Cælestem Genium. Minus quidem admiratione dignum foret, si saltem jus fasque esset Angelo perfectissimo deserere homuncionem non cæcum tantum, sed ingratum & effrontem, quoties ille in super habitis doctoris ac ductoris sui monitis sanctissimis ac sapientissimis, summam per insaniam peccare non erubescit. Sed ne tum quidem permissum illi est recedere à cliente.

Apes odoratu sunt tam delicato, ut prope fœditum cadaver morari non possint: quin ne flores quidem attingunt jam marcescentes & languidos. Quomodo igitur spiritus hi purissimi, & labis omnis neficii constanter adherent animæ peccatrici? qui sit, ut tergum illi non obvertant, non primo momento deserant suæque custodiæ destituant? Non aliâ causâ, quàm, quia, ne id fieret, Deus vetuit. *Non dimittet, cum peccaveris.* Atque hoc obtemperandi studium facit, ut etiam ad latus Peccatoris putridi, & terriorem, quàm ullum cadaver, mephitim exhalantis, Cælum tamen ipsi

S. Tho.  
1. p. 9.  
64. ar.  
1. cor.

14. 6. 1.

Tob. 10.  
11.

S. Tho.  
1. p. 9.  
113. ar.  
6.

Ex. 23.  
20.





**Fig** DISCURSUS TRIGESIMUS  
inveniant. O Illustre divinis iustis  
obtemperandi exemplum! quàm pu-  
debit nos coram Iudice Deo, si illud  
sequi, ex eo proficere neglexerimus?  
si perrexerimus oblectari illis impe-  
riis, ea protervè violare, quæ princi-  
pes isti immortales tam pronis animis  
adorant, tanta fide & obsequio tam  
prompto exequuntur.

II.

XI. Sed illa beneficentissima fide-  
ra, quæ Solis vicem implent, non con-  
tenta lucem in nos derivasse, innum-  
mera etiam alia munera nostrum  
in sinum effundunt. Transeamus  
proinde à Sanctorum exemplis, qui-  
bus viam ipsi nobis monstrant, ad o-  
pem & auxilium, quod suis precibus  
impetrant. Lex humana, Magnates,  
& præpotentes viros advocandi mu-  
nere arceret; aliis in Cælo legibus vi-  
vitur: Misericordia enim Supremi Nu-  
minis tam non interdicat Magnatibus  
& Principibus suis nostro patrocinio,  
ut impeter etiam. Hac quoque par-  
te videri poterat nobis abundè suffi-  
cere, si Mediator esset solus Servator  
noster Jesus. Ut tamen ille Sanctos,  
socios esse suos voluit in curanda ho-  
minum salute, sic & socios esse vult in  
munere patrocinandi, *Claritatem  
quam dedisti mihi, dedi eis.* Ut proin-  
certi sumus ac secari, quod Beati Cæl-  
lites suis nos juvent suffragiis & plu-  
rima nobis, ut salutis nostræ Media-  
tores secundarii, beneficia impetrent.  
Id quod duplici ratione accidit, quan-  
do scilicet vel nostras nos preces sup-  
plices eorum operâ Deo offerimus,

*l. Divi-  
nè & l.  
si cuius-  
cunque  
C. ne li-  
ceat Po-  
tentio-  
ribus.*

*Jo. 17.  
22.*

QUINTUS, DE DEVOTIONE

vel quando ipsi nostro bono & com-  
modo Deo supplices sunt.

XII. Plurimum igitur tunc nobis  
profunt Beati, quando libelli nostri  
supplices eorum velus manu Deo por-  
rigantur. Nostis, nihii esse, quod  
magis gratas acceptasque Deo preces  
faciat, quàm animi modestiam ac de-  
missionem. Oratio siquidem sagittæ  
instar est, quæ tantò majore vi ac im-  
petu jacitur, quò magis arcus terror-  
sum curvatur. *Oratio humiliantis se pe-  
netrat nubes.* Est autem modestiæ ac  
demissionis singularis, indignum se  
existimare, qui suos ipse libellos Deo  
porrigat, eâque causâ optare alium,  
qui gratior illi acceptiorque, manu  
eos suâ offerat. Hæc igitur semper  
efficiet, ut magis Deo placeant, quæ  
sic funduntur, eique offeruntur preces.  
Centurio ille Seniores populi ad Chri-  
stum misit, cum ipse indignum se exi-  
stimaret, qui coram tanto Principe  
appareret; *me ipsum non sum dignum  
arbitratus, ut venirem ad te.* Hac  
autem tam abjecta de se opinione aded  
intima cordis Christi penetravit, ut  
palam illa miraretur, etsi in eum: ut  
sapientiam infinitam, nulla vera ad-  
miratio caderet. Nec demissionis  
tantùm multum est in precibus, quas  
nostro nomine Deo Cælites offerunt,  
sed crescit etiam magnis incrementis  
fiducia, quam excitat ipse rogantium  
numerus. Hæc autem quantum con-  
ferat, quis satis explicet, cum constet  
eâ proportionem crescere vim ac virtu-  
tem precum, quâ crescit fiducia? Na-  
vis pluribus jactis anchoris securius ri-  
det insultantes procellas, minusque  
flu-

*Eccl.  
35. 21.*

*Luc. 7.  
6.*



fluctuat : sic & oratio, plurimum Cælitum simul rogantium fulta subsidio minus fluctuet necesse est.

XIII. Altera ratio, quâ Sanctorum nobis preces commodant, est, cum ipsi moventur, ad rogandam à Deo nostris miseriis ac ærumnis opem, ac remedium. Duplici modo, si S. Thomæ credimus, pronobis Sancti orant, & voce, & re ipsa; seu, ut dicimus, expressè, ac tacitè. Tacitè quidem, quia eorum merita semper divinis oculis observantur; & idcirco non tantum gloriam Deo reddunt, ut incensum in Altari, sed simul semelque miseratione malis nostris implorant. Quæ autem huic tacitæ orandi rationi vis insit, quis satis explicet? Miles qui vulnera ostentat Principi, quæ in pugna accepit, quâ de Regno agebatur, non aliâ indiget facundiâ, quâ pro suis necessariis peroret. Satis, & plus quàm eloquenter perorant cicatricum illarum nondum obductarum ora, absque eo, quòd ullius vocis ministerio amentur. Cogitemus proinde, quantum nobis impetraturus sit exercitus Martyrum innumerus suis illis tormentis, ac crudelibus, quas passi sunt, lanienis; ut nihil de illis dicam, qui si cum Martyribus sanguinem fidei causâ non profuderunt, tam multa tamen dura sunt passi; hi quidem peregrinas obeundo terras, & ad loca sancta invisendo; illi docendo & prædicando; alii generosissimos alios præcedendo exemplis abnegationis ac victoriæ de suis propensionibus, pie-

tatis in Deum ac Cælites, Tolerantiæ, Castitatis! Aded arrisit Herodi impio illa saltratrix mulierculus impudentia, ut stultâ prodigalitate dimidium Regni promitteret, si illa petiisset. *Licet dimidium Regni mei petieris, dabo tibi.* Quid igitur impetrare non poterit tot Virginum innocentissima puritas à Deo, cujus bonitas limites non habet, beneficentia circumscribi se non patitur, quique summè æstimet opus omne, suâ causâ & amore factum? Id solum hac in re dolendum, quòd dum ita pro nobis Cælitum omnis vita ac merita perorant, ingratiissima nostra flagitia obstrepant, quòd minus audire Deus possit. Est certum quoddam oleum, quod impedit, quòd minus ferrum Magnes aliquando ad se trahat, etsi trahendi virtutem non auferat. Apparet hinc, quâ causâ omnium nonnunquam Cælitum plurima ac maxima merita emolumenti nobis nihil adferant, etsi ad Cælum usque vi ac virtute sua trahere nos debere videantur. Nimirum non pauci foedissimis sordibus nimium quantum oblitum sunt: omni parte stygium quoddam oleum exundat, quod quòd tenaciùs eorum voluntatem vitio agglutinat, hoc potentiùs vim omnem, quam Cælitum merita ceteroquin in nobis sursum trahendis exerent, eludit. Hinc docet Angelicus, non semper audiri à Deo tacitas has Cælitum preces, propter tam multos, quos parte nostra nos obices interponimus.

XIV. Quamquam autem tacitas has

*Marc. 6. 23.*

*Supp. 9. 72. ar. 3.*





has preces non semper Deus audit; nunquam tamen non audit explicitas; hæ enim, eodem S. Doctore teste, fundantur illâ notitiâ, quam Cælites habent, quâque vident, Deum, nunc hoc, nunc illo rerum statu, velle nobis benefacere; sic tamen, si illi disertè pro nobis eas gratias flagitent. Unde stabili illa, & velut habituali pro nobis interpellandi ratione non contenti, meritis, quæ semper exstant, jungunt alteram actualem, Deoque ut Advocati nostri exhibent multiplicem, quâ premimur, necessitatem. *Hic est, qui multum orat pro Populo, & universâ sanctâ Civitate; Jeremias, Propheta Dei.* Ita facer textus de Jeremia Vate jam mortuo loquitur; idque de Cælitibus reliquis proportionem suam citra dubium intelligendum. Nam, ut S. Hieronymus advertit, si tum, cum etiamnum mortales propriis urgebantur miseriis, nec sui curam ponere poterant, non idcirco preces pro nobis fundere omittobant, & Dei dona impetrare; quando id amplius eos facturos par est credere, cum de se, & salute sua securi, nos etiamnum inter pericula vident luctari? an aliud magis cupient, quam ut eorum triumphos, eorum trophæa spectemus propius & ipsi triumphantes? Apostolus testatur, suis precibus donatam à Deo vitam ducentorum sexaginta sex comitum in formidabili illa tempestate, quâ jaçtans est, cum Melitam veheretur. Et nunc ille in portu cum Christo, securus omnium periculorum, pro

iis non oret, quos vider etiamnum alio in Mariæ fluctibus, & tot periculis luctari? *Et postquam resolutus esse coeperit cum Christo, tunc ora clausuræ est?* Duabus maximè dotibus aut, 3. insignem oportet esse Advocatum; ut & dicendo sit potens; & magno causam studio & amore complectatur. Utrâque hac ad stuporem valent Beati Cælites. Primò enim sincero nos corde diligunt. *Quisquis Angelorum Deum diligit, certus sum, quod etiam me diligit: dicere solebat S. Augustinus: diligit nimirum me, ut opus Dei, & diligit me in Cælo dilectione tantò detæciore, tantò ardentiore, quanto sua in Sphæra ignis plus operatur.* Parte autem altera, precum ipsorum, nostro commodo, vis est longè maxima. Sidera errantia, quæ longius à terra distant, minùs in eam possunt. At è diverso Cælites, etsi in auge finis suæ Beatitudinis, virtute pollent ad nos juvandos efficacissima. Satis sic dixisse, Cælitum preces vim quodammodo Deo inferre. *Ita Dei precibus Sanctorum frangitur, ut loquitur S. Hieronymus. Acque ita quamdiu Sancti Victorum sunt in numero, repulsam pati & ipsi possunt: at non, cum jam Comprehensoribus accensentur. Eo in statu, quidquid disertè petunt, obtinent: secundum S. Thoma, quod orant pro nobis aliquid postulant, semper exaudiuntur.* Affirmandum idcirco, Beatos Cælites illos esse, qui coram Dei throno supplices & incurvi Mundum suis precibus sustinent. *Sub quo servantur, qui portant 17.*

Suppl.  
9. 72.  
ar. 3. ad  
5.

2. Mac.  
15. 14.

Act. 27



*tant orbem.* Sic de his locum istum S. Hieronymus interpretatur; eorumque precibus tribuit, quòd Mundus, flagitiorum suorum mole prægravis, non intereat. *Sancti portant Mundum, dum eum, ne ruat ac pereat, orationum fortitudine sustinent.*

XV. Neque est, quòd quisquam metuat; ne hic loquendi modus aliquid divinæ Bonitati derogat, quasi hac opus habeat, ut ad nobis benefaciendum excitetur, ac stimuletur. Non ita se res habet, si non erravit Angelicus. Fit hoc eâ causâ, ut ferretur pulcherrimus ordo, quo constituit Deus infima per media ad suos fines perducere. Cum proinde nostram longè absumus à Deo, decebat nos ad eum adduci propius mediis Cælitibus, jam eo præsentè fluentibus, qui nos inter, & illum, Meditatorum munere fungerentur. Quare sicut in Deo potentia plenissima defectum non arguit ea voluntas, quâ vult ad rerum productionem effectioemque etiam causas secundas aliquid conferre; ita nihil idcirco Bonitati ejus decedit, quòd velit Sanctos suis pro nobis ad ipsum precibus, simul cum ipso aliquid conferre ad producenda tantò nobiliora Gratia opera, usque eò, ut simul cum ipso opentur salutem Animarum, quâ re non est alia divini in Mundo, juxta celebre illud S. Dionysii: *Omniùm divinorum divinissimum est, cooperari Deo in salutem animarum.* Imò hæc est Bonitatis ejus vis immensa, non tantùm sui visione & aspectu Beatos reddere tu-  
R. P. Segneri S. I. Christ. Instr. Tom. III

os servos, sed virtutem etiam his conferre, salutem ac beatitatem illis obtinendi. Præterea id agit sollicitè, ut Sanctos suos morales cuncti maximis honoribus afficiant, eaque causâ vult eorundem precibus plurima in nos omn's generis beneficia redundare. Satis enim novit, non alios Principum affectas à subditis honorari & propè adorari impensius, quàm qui plurimum gratiâ apud Principem possunt, quorumque causâ in multos ille beneficis sit ac liberalis.

XVI. Cunctis his ex capitibus palàm est, quàm misera sit illa Anima Christiana, quæ penitus destituta singularibus illis gratiis ac favoribus, quos alii accipiunt à Cælitibus suis Patronis, aliud tandem non habet, quod expectet; quàm quod ignavis illis incolis urbis Lais evenit; qui cum nullo essent fœdere aliis gentibus, quæ plus valebant opibus, juncti, nullo negotio extincti, extirpatique sunt. *Nullo penitus*, ut loquitur sacer textus, *ferente presidium*, eo quòd cum nullo hominum haberent quidquam societatis ac commercii. Invadent miseram hostes, sanam etiamnum & vegetam, multòque magis morti proximam; nec tamen erit, qui adjuvet; *nullo penitus ferente presidium*: in justam summi teporis, & negligentia pœnam, quâ omisit societatem ac fœdus cum quoquam Cælitum contrahere, quo ipsa reteretur cultum illis exhibere, eorum opem postulare; Cælitibus vicissim opem ac patrociniùm, omnemque benefi-

Uuu

centiam



centiam exhibitoris, *Ascendit ad Cælum deprecatio, & descendit miseratio.*

XVII. Verùm de illis quid dicemus, qui non tantùm non colunt ac venerantur Sanctos, eorum patrocinium auxiliè prestantes; sed etiam contempnunt, ut habeant adversantes; Hujus furfuris Impii illi sunt, qui eos, quàm possunt sacrilegè blasphemant: Necessè est fateri, infames istos & consceleratos contendere inter se, quis eorum crebriùs os suum malo Dæmoni commodet, qui cùm felices illos aliter contemptui habere non possit, quàm solo animo, qui, contra ac ipse, fidem Deo servârunt intactam, nec per summum ab eo scelus defecerunt, horum sacrilegorum operâ id etiam assequitur, ut verborum eos contumeliis dehonestet. Sed attendant, qui tales sunt, indigni, quo gloriantur, Christianorum nomine; attendant sibi: sicut enim qui Sanctos veneratur, Deum veneratur, & ab hoc sui cultus mercedem expectat; sic qui Sanctos blasphematur, Deum blasphematur, & ab hoc expectare debet pœnas, quas dabit nonnunquam graviore, quàm si ipsum Deum impio ore blasphemâisset; cùm is faciliùs consueverit ignoscere injuriis in se, quàm injuriis in servos suos illatis. *Maledicam a maledicentibus*; aiebat ad Abraham Deus ipse. Et narratur eam in rem de Juvene mali corvi ovo pessimo, cùm aliquando S. Hieronymi nomen fœdè lacerâisset, adfuisse mox terri æthiopsis formâ Dæmonem, atque in oculis aspectantium arreptum infelicem il-

Gen. 12.  
2.  
In Epist.  
sub nom.  
Cyrilli  
ad S. An.  
gust.

lum secum asportâsse, ad prosequendas ibi blasphemias, ubi finiuntur nunquam, sed semper denuo inchoantur: sic & alterum terribile Oraculum implendo: *Qui maledixerit tibi, in maledictione reputabitur.*

Num.  
2419.

XVIII. Neque hîc sistant execrandæ aliquæ impiorum linguæ: eò progrediuntur, ut in Cælum contumeliam etiam Dæmonem Sanctum appellent. O linguas, quas ne stygias quidem dixisse fat est, cùm nec Infernus tale unquam mendacium effuriet! An enim est in antro illo omnium calamitatum, illas inter umbras, in horrore illo sempiterno, qui audeat, Dæmonem laudibus & encomiis exornare? quoniam imò alius alium in maledictis in eum jaciendis vincere contendit, quibus solis horrenda & inexaturabilis ejus impietas digna est. Quæ igitur hæc exonerand bilem ratio, *Sancte Damon, Sancte Damon*: quæ non una in regione verba tam crebrò audiuntur? Vin scire, quæ sit Dæmonis sanctitas? hæc nimirum, ut ardeat æternùm tanquam victima Divinæ Justitiæ, & quantumvis nolens atque renitens, summam illi & immensam ipsis suis funestissimis pœnis gloriam rependat & honorem. Et ejusmodi sanctitatem ille sanè quàm volens communicabit cum omnibus his, qui ratione tam insolita blasphemant, dum sacrilegum eorum os implebit igne æterno, non aliter, quàm si acerram vivis impleret carbonibus, ut deinde ipsis blasphemis ter infelices illæ linguæ Deum honorent.



XIX. Sed missos illos facio, quos malo credere, mihi nunc dicenti operam non dare. Hortabor vos potius Jobi verbis, ut sollicitè ac velociter alicujus à Cælitibus opem imploretis, eique salutis vestræ comitatus causam, dum adhuc illa pender: *voca, si est, qui tibi respondeat, & ad aliquem Sanctorum convertere.* Eligat quisque ex omni Divorum numero Patronum singularitatem, magisque insignem, & studeat ejus sibi favores ac protectionem demereri omnis generis honoribus, obsequiis, & animi devoti iudiciis, vulgò inter Christianos usitatis. Magnus Mogorum Rex Ecchebar ita se Solis cultui addixerat, ut quater de die eum saluaret ac coleret longo elencho mille quadraginta titulorum & encomiorum magni hujus Planetæ; nunc ejus admirans excellentiam, nunc reverens dignitatem, nunc beneficia commemorans. O quàm vereor, ne Monarcha hic Idololatra extremo illo die ruborem excutiat longè plurimis à Christianorum numero, qui inter negotiola parvæ familiæ tempus non inveniunt vel Litanias consuetas in alicujus Divi honorem recitandi, cum ille inter Regni vastissimi negotia horas potuerit invenire patgendis illi tot encomiis, qui ne aures quidem haberet, quibus eas audiret!

XX. Præcipuo autem studio cuperem vos prensare Custodis vestri Angeli favores, & singularibus obsequiis eundem colere ac venerari. Maxime autem vobis illum demere-

bimini audiendâ ipsius voce ac montis; cum istud præcipuè Deus jubeat, dum de illo loquitur. *Audi vocem ejus.* <sup>Exod. 13. 216</sup> O vos beatos, si id egeritis! experiemini enim favores planè singulares, quibus inducamini ad omne vitiorum genus deferendum, & fugienda quàm longissimè omnia salutis pericula. Ajunt Pavonem tam beneficam, quàm formosam, occulto quodam naturæ magisterio cognoscere, quo loco venenum aliquod lateat; eoque confestim accurrere, ubi illud asservatur, strepera dein voce sua, alarum agitatione ac concussione nihil non agere, ut vas, quo illud clausum est, diffingat, aut evertat saltem; & si terrâ conditum sit, pedibus illud sollicitè refodiat. An non hoc, & plura etiam ager Custos vester beatissimus in rebus & causis vestris? Aget sanè; & nisi proterviâ ac contumaciâ singulari peccatorum venenum abditum animo retinere obstineris, impellet ad illud verâ aliquâ, sincerâ suisque absolutâ numeris confessione promendum; rumpet, quo illud clausum est, vas; tollet inquam & amovebit occasionem illam periculâ plenam, illud commercium, illam familiaritatem pravam, quæ sunt velut poculum toxicæ voluptatum. Verbo, omnia vobis Cæli dona impetrabit. Et sicut parvulo, qui necdum suis manibus carpere fructus potest, qui paulò altius à terra hærent penduli, ramos insectimus, dum stringere manibus possit; sic ille suo patrocínio, suis precibus divi-



nam flectet miserationem, ut vos per-  
tingatis ad colligendos & accipiendos  
ab ea favores singulares & copiosos, ad  
quos vestra merita cæteris se non  
porrigerent. *Ad aliquem Sanctorum  
convertere.*

XXI. Isti proinde, quod dicebam,  
erunt Turres alyli ac receptus suò pa-  
trocinio; *Turris fortitudinis à facie ini-  
mici*: isti viam monstrabunt securam  
exemplo. Finiam idcirco verbis san-  
cti senis Tobie, & velut synopsi com-  
plectar, quidquid hucusque à me alla-  
tum est. *Filii Sanctorum sumus*: &  
nisi per sumum probum omnino de-  
generes esse malumus, & tantis Indigni  
natalibus opus erit imitari & factis ex-  
primere mores Parentum tam glorio-  
forum; nec imitari solum & sequi, ut  
heliotropia solent, vultu & aspectu ad  
illos converso, sed pedibus: quod per-  
inde est; ac dicere: non satis est eos  
sequi probando & admittendo eorum  
generosa & præclara gesta, cum in-  
terim hæreamus in terra vivendo  
more belluarum, ne dicam impi-  
orum.

Prov.  
17. 6.

XXII. *Filii Sanctorum sumus*. Quem  
autem filium non tangit Parentum  
gloria? *Corona senum Filii Filiorum, &  
gloria Filiorum Patres eorum*. Beati Cæ-  
lites summam Ecclesie jam gloriam  
pepererunt; decet igitur nos vicissim  
esse coronam eorum, ipsorum opem ac  
nomen reverenter implorando, tem-  
pla eorum cultui dicata modestè fre-  
quentando, illorum cultum studiosè  
promovendo, dies eorum honori  
festos singulari præcipue pietate so-

lennes habendo. Quæ autem vulgè  
esse solet inter Christianos ratio dies  
Cælitibus sacros transigendi? Nundi-  
na, Ludi, comestationes, compotatio-  
nes, choreæ: vel ante Templorum fores  
ductæ: hæc sunt, queis ferè Divos ve-  
neramus, obsequis. Antiqui Idolorum  
cultores non invidio talibus Deos suos  
obsequis venerabantur; offerebant e-  
nim & exhibebant id, quo uno ejusmo-  
di vitiosus Deorum grex gaudebat, vi-  
tia. At nos quomodo Cæli inquil-  
nos sic honorare præsumimus? An  
colemus Patronos & Tutores no-  
stros tam inclitos Nundinis, quæ ullo  
anni tempore institui soleant celeberrimis,  
hoc est, pleno illo jure exer-  
cendi artes ac fraudes, quis ipsi ver-  
bis, calamo, & factis ipsis deestari  
& odisse docuerunt? Colemus Mar-  
tyres, qui tam atrociam perulerunt  
tormenta, hilaris & laetius, quam  
unquam aliàs, eo die vivendo, quo  
ipsi inter cruciatus vivere desierunt?  
Colemus Virgines illa frequentando  
conventicula, illos cætus, quos ipsæ  
cum viverent, tantopere horrebant,  
tantopere abominabantur? Absint  
hæc procul: sic enim Sanctos vene-  
rari nos facit videri stultos eorum fi-  
lios, atque aded pro favoribus, eorum  
contra nos iracundiam concitat.

Prov.  
17. 13.

*Ira Patris, filius stultus.*

XXIII. *Filii Sanctorum sumus*: &  
Idcirco filiali eos fiducia in necessita-  
tibus oportet appellare. Ethnici,  
cum timerent à Diis suis deseri, eos  
alligabant: tam erant in judicando  
insani. Nos nihil est quodd ejusmodi  
fugam



fugam metuamus. Faciamus officium Filiorum erga Cælites, & securi simus. Amant nos illi charitate maxima, atque ideo nostrâ causâ etiâ atque etiam cupiunt. Et quanquam id secus haberet, tamen periculum non esset, ne nos destituerent, ipsi siquidem Deo vinculis charitatis tam arctis devincti sunt, ut aliud velle nequeant, quàm ut nos junctâ cum ipsis operâ illo fruamur. & quam possumus, gloriam per omnem deinceps æternitatem exhibeamus. Nec verò aliud par est à nobis quotidie postulari. Beatos sanè nos, si in re tanti momenti omnem exosi sumus ignaviam; Sperare enim verò licebit, nos post peregrinationem hujus vitæ non longam appulsiuros in patriam, & ibi præsentibus agnituros, & gratias iis maximas habituros, qui jam salvi id egerunt unice, ut nos quoque hoc ex exilio ad salutis portum felicissimè pertingeremus.

ceptis æternitatem exhibeamus. Nec verò aliud par est à nobis quotidie postulari. Beatos sanè nos, si in re tanti momenti omnem exosi sumus ignaviam; Sperare enim verò licebit, nos post peregrinationem hujus vitæ non longam appulsiuros in patriam, & ibi præsentibus agnituros, & gratias iis maximas habituros, qui jam salvi id egerunt unice, ut nos quoque hoc ex exilio ad salutis portum felicissimè pertingeremus.

## DISCURSUS ULTIMVS.

### *De Necessitate ad Mortem se praparandi.*

**U**ic cum Majores nostri crederent, non aliud in Mundo mare esse, nisi illud, quod, quia terris undiq; cingitur, Mediterraneum appellatur. Unde si qua navis geminos illos ad montes accessisset, qui fretum Herculeum claudunt, Abylam inquam & Calpen, ultimos illa naturæ fines attingisse videbatur, ultra quos progredi liceret nemini, *Non plus ultra.* Sed jam à pluribus seculis infantiam hanc suam Mundus dedidit, experientiâ doctus ultra illud nostrum mare, Oceanum diffundi vastissimum, in quo naufragis inevitabilis sit mors, ad litus autem secundâ navigatione navim appellentibus opes ac divitiæ ingentes paratæ. Hac ratione

Ethnici etiam olim credebant, finem & terminum ærumnarum humanæ vitæ esse mortem, *Ultimum terribilium*, ultra quâ mala essent nulla, nisi quæ sibi rudes & nimium creduli fingerent, vel quæ solâ Pœtitarum fabularum auctoritate niterentur. Verùm non fallente Fidei magisterio pridem didicimus, mortem humanarum ærumnarum metam non esse, sed tenue principium, *Hac Math. autem omnia initia sunt dolorum.* Lariüs 24. 8. multò longiusque patet ille malorum Oceanus, quæ ultra vitæ nostræ columnas metuere debemus, si naufragium facimus: sicut è diverso multò & fortunatius, & omni opû affluentia nostro littore beatus litus est, ad quod, secundâ navigatione usi, appellemus. Quid autè hæc fide docente intellexisse juvat si subinde vivimus, tanquam si altissi-